DE RHEUMATISMO ACUTO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE I. M. APRILIS A. MDCCCXLVII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS WALTZ
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

TH. STARKE, MED. ET CHIR. DD.
F. HOOGEWEG, MED. ET CHIR. DD.
C. HOFFMANN, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, ORNATISSIMO, EXPERIENTISSIMO

H. G. GRIMM,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, REGIS ARCHIATRO, MEDICO-CHIRURGORUM CASTRENSIUM REIQUE MEDICAE EXERCITUS BORUSSICI PRAEFECTO SECUNDO, SECTIONIS CHIRURGICAE IN NOSOCOMIO CARITATIS DIRECTORI, ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA IN CLASSE TERTIA CUM LEMNISCO, ORDINIS CAESAREI RUSSICI ST. VLADIMIRI IN CLASSE TERTIA, NEC NON ST. ANNAE IN CLASSE SECUNDA CUM GEMMIS, ORDINIS HASSICI ELECTORALIS DE LEONE RUBRO, ORDINIS HOLLANDICI LEONINI, MAGNI DUCATUS BADENSIS DE LEONE ZAEHRINGIENSI EQUITI AURATO ETC. ETC.

CURATORI SUO

AC PRAEPOSITO GENEROSISSIMO

HASCE

QUALESCUNQUE PAGELLAS

GRATA BENEFICIORUM MEMORIA

SUMMAQUE PIETATE

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Quae sors tam multis affectionibus organismi humani morbosis obtigit, ut millia annorum non sufficerent ad explorandam naturam earum essentialem, ut medici alterius saeculi veram rei cognitionem sese adeptos esse arbitrarentur, alterius vero hanc doctrinam aeternitati commendatam repudiarent et novam statuerent, quae non majorem sibi vindicavit apud posteros auctoritatem, quam altera modo reprobata: eadem, inquam, Rheumatismo acuto obtigit, de cujus morbi natura medici usque ad novissimum tempus valde inter se discrepant diversissimasque sententias proferunt.

In his pagellis eas sententias de Rheumatismo acuto, quae ab antiquissimis usque ad nostra tempora plurimum valuerunt, afferre, eas, quoad vires juveniles tenues patiuntur pensitare et deinde eam doctrinam profiteri, qua natura hujus morbi accuratissime designari mihi videtur, apud animum meum constitui.

DE MORBI NATURA.

Aevi antiqui medici usque ad recentiora tempora causam rheumatismi efficientem acre quoddam in humoribus rheumaticum esse arbitrabantur. Stahl[1]) rheumatismi materiam

[1]) Georgi Ernesti Stahlii Physiologia et Pathologia. Editio altera correctior. Halae MDCCXXXVII. pag. 620. §. 10.

descripsit his verbis: „Est itaque nullum dubium, quin etiam varii humores rheumatico motu ad partes varias ferri, dirigi et adigi possint, qui tamen cum non per alia peculiaria et propria secessionum genera eo pertingere valeant, quam uno magis simplici, massae sanguineae ad illa loca majore incubitu et appulsu, quandoquidem etiam, qualescunque tamen, ita diversae rheumatum materiae non nisi in massa tota sanguinea stabulari et ex hac in alia loca secedere possunt: dilucescit affatim, quod equidem fluidum utique esse debeat, quidquid rheumatismum subiri dici possit; interim nulla aeque simpliciter propria atque determinata crasi circumscriptum esse vel debeat, vel omnino possit, cum et e promiscua massa secessio et in loca specialissimae sequestrationi nihil idonea decubitus totus contingat. Tanto magis autem utique secundum dyscrasias accidentales sanguinis per individua peculiaris, materialis aeque atque occasionalis, rheumatismi constitutio ita obtingere possit: ut, inquam, restagnatio illa, verbi gratia a tenuiore et acriore humorum dyscrasia individuali, et altius partibus impingatur, et acrius illos afficiat atque molestiis infestet; et occasionem etiam praebeat, quam ob rem facilius aeque atque saepius ad ejusmodi conamina exundationum natura concitetur, quod reliqua sua sponte ita saepe atque promte probabilissime minus factura esset.“

Paulo infra occasio nobis offeretur explicandi, hanc sententiam de Rheumatismi natura, etiamsi morbum non ab omni parte ventilantem multisque erroribus mixtam, tamen diligenti et accurata observatione niti et meliorem hujus morbi cognitionem testari, quam sententias plurimorum medicorum et recentiorum et novissimorum temporum. Qui quidem medici contendunt, Rheumatismum acutum non nisi inflammationem esse spuriam musculorum, tendinum et mem-

branarum serosarum et fibrosarum, quae articulos constituant et circumdent; quam inflammationem nasci antagonismo, functione cutis externae perfrigerio suppressa.

Bouillaud[1]), qui asseclam hujus sententiae se profitetur, haec affert argumenta ad eam probandam:

a) Symptomata in articulis inflammatoria.

b) Febrem, quae symptomata localia comitatur, vehementem.

c) Faustum eventum methodi antiphlogisticae in curando hoc morbo.

d) Creberrimam Rheumatismi complicationem cum Pericarditide et Endocarditide.

Haec ratio, naturam hujus morbi explicandi non solum manca est, quia, omnibus reliquis symptomatibus omissis, localia tantum respicit et hoc unum morbi symptoma morbum ipsum esse contendit, sed etiam falsa, quod attinet ad symptomata localia. Affectionem enim articulorum non inflammatoriam esse, his ex causis apparet[2]):

a) Etiamsi affectio articulorum saepe symptomata inflammationis prae se ferre videtur, haec symptomata tamen non raro omnino desunt, morbus autem inflammatorius his symptomatibus omnibus sub conditionibus consociatur.

b) Stadia illa inflammationis pathognomonica, incrementum, acme, decrementum, absunt ab affectione articulorum rheumatica, quae quidem subito in uno aut pluribus articulis summa cum vehementia apparet, ab iis saepe non minus subito decedit et in alios transit.

c) Interdum articuli affecti subito ab omnibus doloribus liberantur, nec ullum symptoma locale restat, symptomata

---

[1]) Bouillaud's neue Untersuchungen pag. 78 u. f.

[2]) Chomel, Leçons de clinique médicale. Tome seconde, Rheumatisme et Goutte. Paris 1837.

autem febrilia perdurant. Contendi igitur non potest, febrem non nisi inflammatione locali exortam esse.

d) Non occurrit exitus Rheumatismi acuti in gangraenam, et exitus in suppurationem, quamquam saepius observatur, tamen multo rarior est, quam in inflammationibus.

e) Experientissimi medici inter se consentiunt, curam antiphlogisticam in sanando Rheumatismo non optatum eventum praestare.

f) Necroscopia in locis affectis plerumque nihil inflammatorii reperit.

Rheumatismus igitur non est inflammatio, et si inflammatio in decursu morbi existit, non est idiopathica, sed symptomatica.

Non minus, quam asseclae sententiae modo tractatae, errarunt, qui ex nonnullis symptomatibus et Rheumatismo et Arthritidi pathognomonicis opinionem amplexi sunt, utrumque morbum unam eandemque esse dyscrasiam, quae quidem opinio omnibus temporibus et nostris quidem a Chomel et aliis acriter defensa est.

Chomel hos morbos nullo modo, nisi quod attineat ad loca affecta (Arthritide enim plerumque minores, Rheumatismo majores articulationes affici) inter se discrepare dicit, discrimen igitur non re, sed nomine tantum existere.

Re vera uterque morbus multa congruentia praebet symptomata, nam et in Rheumatismo acuto et in Arthritide dolores sunt vehementissimi et quidem in articulis, in utroque morbo tumor, rubor, functio laesa partium affectarum inveniuntur, in utroque febris adest cum pulsu tenso, duro, pleno, uterque morbus iisdem saepissime anni temporibus, nempe vere et autumno, exoritur et per idem fere temporis spatium protrahitur. Exstant tamen symptomata, quorum complexu morbi illi stricte possunt distingui:

a) Ad Arthritidem disponit vini copiosus usus, venus nimia, lucubratio, comessationes, studia assidua, — causa unica occasionalis Rheumatismi acuti est perfrigerium.

b) Arthritidem antecedunt vel edacitas, vel anorexia, animae foetor, nausea, dyspepsia, flatus, alvi obstructio, ventriculi sensibilitas perversa, dum Rheumatismus subito doloribus vehementissimis se manifestat.

c) Arthritis aetati virili et quidem provectiori maxime est infesta, Rheumatismus neque aetati neque sexui parcit.

d) Arthritis praeter majores articulationes praecipue illas digitorum tam pedis quam manus occupat, Rheumatismus plerumque non invadit nisi articulos majores.

e) Arthritis est periodica, Rheumatismus quovis anni tempore homines invadit, interdum semel tantum, nisi nova occasio oblata sit.

f) In Rheumatismo acuto rubor partium vel omnino deest, vel magis rutilus et erysipelaceus, in Arthritide magis saturatus, cuprinus.

g) In Arthritide tumor et rubor partium affectarum semper demum insultum sequuntur, in Rheumatismo statim initio observantur. Augentur igitur in Rheumatismo cum tumore dolores, minuuntur in Arthritide.

h) In Rheumatismo acuto dolores sunt pungentes, terebrantes in Arthritide.

i) Qui Rheumatismo laborant, multum sudant, in Arthritide sudores fere omnino desunt.

k) In Arthritide urina tempore paroxysmi valde parca secernitur et postea sedimentum largum, mucosum albidum vel rubellum format, in Rheumatismo urina turbida et rubra reperitur et sedimentum format roseum.

Etiamsi, uno alterove symptomate deficiente, diagnosis nonnunquam primo obtuitu difficilior reddatur, tamen diligenti

atque accurato examine medicus in errorem incidere nequit. Sin autem Chomel omnia symptomata modo allata, quin etiam constantia illa, in quibus natura morbi potissimum cernitur, pathognomonica esse negat, si digestionem turbatam causam esse occasionalem non minus Rheumatismi quam Arthritidis, vel etiam saepius in Rheumatismo quam Arthritide se observasse contendit, si affirmat, Rheumatismum aeque ac Arthritidem morbos esse hereditarios et periodicos: huic opinioni tam multae doctissimorum medicorum observationes repugnant, ut credere debeamus, Chomel ex nimio hujus sententiae amore minus accurate et fideliter observasse et hac de causa ea reperisse, quae ei aptissima essent ad defendendam opinionem suam.

Sententiae illae, quas modo attuli, „Rheumatismum acutum esse inflammationem" et altera „Rheumatismum et Arthritidem unam eandemque esse dyscrasiam" per multa secula unice viguerunt, et unam alteramve omnes professi sunt medici; nostra tandem aetate, qua et physiologia et chemia tam multa diagnoseos adjumenta, prioribus temporibus incognita, nobis praebent, desistunt medici, iis, quae patres tradiderunt, temere assentiri eaque sacrosancta habere. Deligenter omnia examinantur et pensitantur, errores deteguntur, novae sententiae proponuntur.

Fuchs [1]) Rheumatismum acutum morbis adnumerat, quos vocat Paracrises. Paracrises autem sunt secretionis morbi, in quibus e sanguine normali vel certe quod attinet ad compositionem essentialem, ut quidem nobis videtur, non mutato secreta eduntur, quae et quantitate et qualitate a normalibus discrepant, adaucta, ut verisimillimum est, secernendi facultate. Rheumatismus igitur est Haematonosis in-

---

[1]) Fuchs, Nosologie und Therapie Bd. I. Göttingen 1845.

flammationi valde dissimilis, in qua nervorum affectio, quamquam vehemens, non primaria est. Differt ab Hydrochysibus et Blennorrhoeis non nisi tela morbo obnoxia. Ut telae serosae in Hydrochysibus, ita in Rheumatismo telae fibrosae sanguinis copia est adaucta, quae hyperaemia in utroque morbo exsudatione compensatur. Etiam Clarus [1]) censet, Rheumatismum ad telam serosam et fibrosam eo modo spectare, quo ad mucosam spectet catarrhus et exoriri, si in nonnullis aut in omnibus telis seroso-fibrosis circulatio ad eum gradum accelerata sit, ut, vasis debilitatis, haesitatio sanguinis efficiatur. Causam cocasionalem esse perfrigerium, quo quidem aliquamdiu vasa cutis externae constringantur et hac de causa sanguis in telis seroso-fibrosis accumuletur. Hac circulationis perturbatione, si iterum iterumque in eodem homine existat, sanguinem, quod attineat ad qualitatem, paullatim mutari et ex Rheumatismo fieri dyscrasiam rheumaticam.

His quoque auctoribus crimini dari potest, quod naturam Rheumatismi ex localibus tantum symptomatibus declarare studuerint, mutationes autem, quae in chemismo vitali observantur et quae constantiores quam symptomata localia sunt, neglexerint. Quod attinet ad opinionem, Rheumatismum et Catarrhum eosdem morbos esse, modificatos tantum organorum diversitate, concedendum quidem est, aetiologiam utriusque morbi plerumque eandem et hac de causa complicationem alterius cum altero morbo frequentissimam esse, tamen fugacitas illa permagna et facultas combinationes diversissimas ineundi, praeterea symptomata illa in chemismo, quae paulo infra fusius exponam, Rheumatismum morbum alium esse, quam Catarrhum, argumentantur.

---

[1]) Clarus, Annalen des klinischen Instituts Bd. I. Abthlg. II. pag. 167.

Etiamsi igitur Fuchs morbum ipsum non satis cognovisse mihi videtur, tamen naturam symptomatum localium ingeniose perspexit.

Schoenlein, praeceptor meus venerandus, qui summo ingenio totam nosologiam de integro elaboravit, multaque falsa et ficta, quae hucusque viguerunt, sustulit, etiam naturam hujus morbi essentialem optime indagasse mihi videtur. Rheumatismum acutum adnumerat Rheumatismorum familiae, quam statuit propriam et cujus signa pathognomonica haec sunt:

1. Symptoma praecipuum est chemismi animalis mutatio et quidem formatio acidi anomali.

Jam veteres hoc, ut supra commemoravi, cognovere, vel ut melius dicam, opinati sunt, quippe qui acre rheumaticum saepe proferrent; in hac re tamen valde errarunt, quod arbitrabantur, acre rheumaticum idem esse sub quavis conditione. Novissimi autem temporis investigationes rem aliam ostendunt, adest enim paene in omnibus secretionibus acidi anomali formatio, sed hoc acidum non in omnibus organis idem est. Velut in urina non solum multum acidi urici, sed etiam acidum purpureum et roseum invenimus, in cute externa acidum galacticum et acidum aceticum, aut acidum his, quae dixi, simile, in membranis synovialibus acidum galacticum et acidum phosphoricum. Donné etiam salivam acide reagentem invenit acido galactico; Schoenlein in rheumatismo tunicae muscularis intestinorum acidi formationem in primis viis observavit et apud alium hominem, Rheumatismo acuto laborantem, ulcus, quod eodem tempore aderat, inter noctem crystallisatis concretionibus terreis tegebatur. Dr. Simon, qui hoc puris concrementum chemice exploravit, permagnam copiam acidi urici cum Ammonio et Natro conjuncti reperit. Fuchs serum sanguinis eorum,

qui Miliaribus defuncti erant, nec minus exsudata membranarum serosarum, saepissime acide reagere observavit.

Omnia haec acida plerumque cum basi conjuncta sunt, aut conjunctiones neutras aut acidas formantia, saepissime hoc in cute externa cernitur, in aliis rheumatismi generibus sudor admodum acidus est, in aliis autem nullo modo, quia acidum cum basi, quo neutra compositio fit, conjunctum est. Prope idem in urina haud raro videmus.

2. Symptoma secundum, quod in omnibus Rheumatismis universalibus, ut ita dicam, et acutis animadvertitur, est anomalia in cute externa peculiaris, quod attinet ad electricitatem animalem. Cognitum est omnibus medicis, corpus humanum, fortasse animalium quoque omnium [1]), semper procreare electricitatem, quae quibusdam conditionibus modo positiva, ut statu normali fieri solet, modo negativa, ut apud feminas inter menstruationem et graviditatem, invenitur; attamen in Rheumatismo, ut Alexander ab Humboldt, ipse hoc morbo laborans, primus observavit, electromensores vel optimi nullam reactionem vis electricae monstrant. In hac re omnes fere artis medendi professores consentiunt, dissentiunt autem de modo, quo hoc eveniat.

Hildenbrand [2]) proximam rheumatis causam omnino in sublato aequilibrio inter electricitatem atmosphaericam et animalem quaerit. Haud supervacaneum erit, argumenta afferre, quibus hanc sententiam tueatur:

a) Cutis sudore aliove modo humefacta Rheumatis ortui favet, humida vero corpora electricitatem avide abripiunt.

---

[1]) Mueller's Handbuch der Physiologie des Menschen. Coblenz 1838. Vol. I. pag. 64.

[2]) Hildenbrand's Institutiones practico-medicae. Tom. III. §. 1162.

b) Quibus arida est pellis, Rheumatismo obnoxii esse non solent.

c) Causae Rheumatis sunt tales, sub quibus tensio electricitatis positivae viget, exhalationes telluris, aura rorida, frigus atmosphaerae repente exortum, praesertim post inundationes, tempestates, imbres, ventos aquilonares.

d) Dolores rheumatici cum ictus electrici sensu summam analogiam ostendunt.

e) Qui Rheumatismo laborant, minimas aëris atmosphaerici mutationes et appropinquantes, praesertim procellas, persentiunt.

f) Sub Rheumatismi decursu continua observatur fluidi gasiformis in liquidum permutatio, quam pariter in atmosphaera contigere videmus post explosiones electricas.

g) Organa, quae imponderabilium evolutioni sunt destinata, nervi utpote et vasa sanguifera, in Rheumatismo ab omni initio patiuntur; systema contra reproductivum, quod chemico magis processui praeest, vix unquam notabiles alienationes offert, si secundarias excipere velimus.

h) In zona torrida et septentrione, ubi atmosphaerae temperies, sive aestus excessivus, sive gelu vehemens, majorem constantiam offert, etiam Rheumata rariora esse solent.

i) Quemadmodum electricitas directionem concatenationis partium homologarum sequitur, ita etiam adfectiones rheumaticae nonnisi per organa ejusdem naturae et capacitatis migrant, ac saepe fulguris celeritate propagantur ad loca remotissima, intermedias partes intactas relinquendo.

k) Ad conflictum electricum producendum antithesis polaris requiritur, hanc autem inter cutim externam et membranas serosas, hasque inter et fibrosas aperte vigentem habemus.

l) Quae electricae conditioni favent, corpora rheumaticos

dolores exacerbant, uti frigus, humiditas, superficies metallorum.

m) Rheumatica tormenta vicissim mitigare juvant corpora idioelectrica omnia, ut pelles animalium, lana, gossypium, atmosphaerae calor temperatus et aequabilis.

n) Frictio, princeps extricandae electricitatis medium, egregium sistit dolorum rheumaticorum lenimen.

o) Animalia, quae non sudant, a Rheumatismis immunia vivunt."

Alio modo Schoenlein, Pfaff, Grossi, Berndt hanc rem explicant; arbitrantur enim cutim externam ex conductore electricitatis in isolatorem esse mutatam, electricitatem igitur sub cute accumulari et hoc modo causam fieri vehementium illorum dolorum. Alia etiam symptomata ex hac cutis externae conditione explicata habent, ut Hydropem inflammatorium cellulosum, tam frequentem in Rheumatismo acuto, — vim acupuncturae, — quod porro homines, in quorum reti Malpighiano magna pigmenti carbonis copia deposita est, Rheumatismo rarissime afficiuntur (quod ad distributionem hujus affectionis geographicam maximi est momenti), quae res facile intelligi potest, si rationem facultatis vim electricam ducendi habemus, — quod inter cutis externae frictionem, sive corporibus idioelectricis, veluti substantiis resinosis, Rheumatismus subito tollitur.

Scharlau et Heidenreich novissimis temporibus hanc sententiam impugnant, quoniam in variis casibus rem aliter se habere observarint. Res igitur nondum plane diremta est, qua de causa optare oportet, ut denuo diligentissime examinetur et perspicua reddatur.

3. Symptoma tertium Rheumatismi est affectio localis, quae quidem, ut Schoenlein censet, nunquam est primaria, sed secundaria et quidem mutationibus chemismi organici

effecta. Est igitur versatilis et inconstans, vel etiam in decursu morbi plane cedere potest, dum morbus perdurat. Affectio imprimis in articulationibus, non solum extremitatum, sed etiam trunci, ut columnae vertebrarum, sedem habet. Plerumque articuli majores, interdum etiam minores ut digitorum et manus et pedis, afficiuntur, id quod ipse nonnunquam in caritatis nosocomio observavi. Praeter articulationes autem duae membranae, quae ejusdem sunt structurae quam organa articulos constituentia, non raro Rheumatismo tentantur, Endocardium scilicet et Pericardium. De quorum affectione paulo infra loquar.

Quod attinet ad naturam affectionis localis, quae usque ad novissimum tempus inflammatoria habebatur, Naumann eam in irritatione congestiva telarum serosarum, fibrosarum et quae his textura similes sint, positam esse contendit. Cum autem totum systema fibrosum cum membranis serosis commercium alat, hac facultate secernendi, quae iis propria est, irritationem in partibus affinibus exortam celerrime avertunt et hoc modo semper fere impediunt, quominus irritatio illa usque ad inflammationem augeatur. Fugax morbi natura ex eo apparet, quod vera inflammationis sedes non adest, sed irritatio, quae modo in hac modo in illa parte telae seroso-fibrosae animadvertitur, in ea quasi fluctuat. Qua de causa etiam Rheumatismum fieri vehementissimum videmus, si unum locum omni vi invadit eumque pertinaciter occupat, quibus conditionibus irritatio in inflammationem abire potest. Rheumatismus igitur causa efficiens inflammationis fieri potest, sed nunquam inflammatio, ut tam multi medici opinantur, causam sistit Rheumatismi. Etiam Schoenlein naturam symptomatum localium ponit in irritatione organorum, morbo illi obnoxiorum, effecta Rheumatismo ipso.

4. Denique nobis occurrunt symptomata febrilia. Quae

quidem semper adsunt, modo autem ante modo post affectiones locales, modo una cum iis apparent, quibuscum etiam in toto decursu morbi non conveniunt. Interdum febris manet, dolore sublato, mobilitate artuum restituta, interdum videtur febris sublata, doloribus perseverantibus. En! novum argumentum, symptomata localia non esse essentialia et primaria. Febris plerumque est vehemens cum pulsu magno, pleno, duro, celeri, modificatur interdum vi atque ambitu affectionis, conditione singulorum propria, aetate aegroti.

AETIOLOGIA.

1. Causae praedisponentes. *a*) Homines cute vulnerabili facileque sudanti magis opportuni sunt ad Rheumatismum, quam homines cute arida atque dura muniti. Schoenleinii opinionem, cutem, in qua magna pigmenti copia deposita sit, homines a Rheumatismo tutos reddere, Fuchs impugnat, nam quod Aethiopes rarissime Rheumatismo corripiantur, ex coeli conditione, sub quo illi vivant, deducendum esse censet, cum animadverterit, illos sub nostro coelo Rheumatismo saepissime infestari.

Roche et Andral, praedispositionem Rheumatismi cerni contendunt et in adaucta sanguificatione et in permagna cutis externae sensibilitate, praecipue autem in debito majore frequentia vasorum capillarium superficiei cutaneae, unde roseus ille cutis color Rheumatismo laborantium pendeat. Sanguini nimia oxygenii copia adducitur per vasa capillaria partim membranae mucosae pulmonum partim cutis externae, quae vasa cum aëre externo perpetuum alunt contactum. Nimia oxygenii portione vis sanguinis excitans justo magis adaugetur. Simul tales homines propter permagnam

cutis sensibilitatem magis quam alii noxis externis, uti frigore, principi Rheumatismi causa, irritantur.

b) Tempestas diu humida, pluvia, nebulosa, si dies praecalidos noctes frigidae sequuntur, aut si eodem die calor et frigus saepe mutantur. Hanc constitutionem atmosphaericam, qua vis quoque electrica modificata est, sive adaucta sive diminuta, eo saepius observamus, quo remotiores sumus ab anni extremis, a media hieme et aestate. Eadem de causa Rheumatismus multo crebrior est in Gallia, Hollandia, Germania, Britannia, quam in regionibus septentrionalibus et meridionalibus, ubi atmosphaera magis temperata est et aequalis, sicuti in Lapponia, America septentrionali, Italia. Attamen nec harum regionum incolae omnino ab hoc morbo tuti sunt.

Magno est oblectamento videre, quo modo morbus coeli conditionibus modificetur.

Dum in regionibus calidis Rheumatismus, si exsistit, formam acutissimam offert et saepissime exitum habet letalem, in terris maxime septentrionalibus, ut apud Esquimotes, formam valde chronicam prae se fert et pertinacem, minime autem est dolorificus.

W. Hamilton [1]) in Ceylone et in litore Malabarico observavit Rheumatismum diffusum qui vocatur „Barbiers, Berry-berry," quique simul cum doloribus terebrantibus variarum corporis partium frigoris sensum procreat et facultatem artus movendi valde impedit. Febris acutissima saepe largis sudoribus morbi solutionem inducit, si vero negligitur, exoriuntur aut pertinax catalepsis, tetanus et trismus, qui spasmi postremo in paralysin transeunt, aut dyspepsia chronica, qua aeger omnia in ventriculum immissa evomit. Non

[1]) Fr. Schnurrer's geographische Nosologie. Stuttgart 1813. pag. 328.

raro mors intrat inflammatione omnium telarum serosarum, cavitatibus corporis exsudato aquoso impletis.

Similis Rheumatismi species [1]), non minus perniciosa, quae vehementissimis doloribus osteocopis atque sensu formicationis se manifestat, in Brasilia „Air" nominatur. Sectione cadaverum instituta, Piso solidas exsudationes lymphaticas neurilema inter et nervos ipsos, ad partes affectas pertinentes, invenit. Etiam in Cayenna [2]) Rheumatismus observatur accerrimus et valde dolorificus, qui saepissime spasmos procreat tetanicos.

c) Aetas. Ante sextum et post sexagesimum aetatis annum Rheumatismus rarissime ingreditur, frequentissime inter quintum decimum et trigesimum quintum. Bichat Rheumatismum aetatem puerilem eapropter tam raro invadere existimat, quod telae fibrosae adhuc tenerae nondum eum vitalitatis gradum adeptae sint, qui ad procreandum hunc morbum requiratur. Quod si verum est, simili modo rarus hujus morbi ortus in stadio decrepiditatis a deminuta vitalitate omnium organorum telarumque derivari poterit. Si vero Rheumatismus semel in homine exortus est, auctore Chomel — dispositio aetate progrediente crescit semperque vehementior usque ad vitae finem manifestatur.

d) Sexus. Quod sexus potior saepius quam sequior corripitur Rheumatismo, non nisi eo declarandum esse puto, quod viri multo frequentius causis occasionalibus quam feminae se submittunt.

e) Temperamentum. Si Chomel temperamentum sanguineum magis quam cetera ad Rheumatismum pronum esse per longum temporis spatium se observasse contendit, id

---

[1]) Magazin der ausländischen Litteratur der gesammten Heilkunde. 1837. Heft 4.

[2]) Bajon, Mémoires pour servir à l'histoire de Cayenne.

magnae illorum hominum irritabilitati tribuendum est, idemque eodem jure de omnibus morbis acutis dici potest.

2. Causae occasionales. Qui medici, uti Chomel, dyscrasiam rheumaticam, aut Hildenbrand, sublatum aequilibrium inter electricitatem animalem et atmosphaericam causam Rheumatismi primariam arbitrantes, refrigerationem causam esse occasionalem omnino negant, errore non minore tenentur, quam Bouillaud, qui perfrigerium causam unicam esse Rheumatismi contendit omnemque praedispositionem rejicit. Re vera Rheumatismus plerumque non nisi refrigeratione exoritur, tamen, constitutione atmosphaerae Rheumatismis solito magis favente, qui magnopere praedispositi sunt, perfrigerio se exponant saepe non necesse est, sed sine ulla causa occasionali morbo corripiuntur. Mirari igitur non possumus, quod certis temporibus vulnerati, convalescentes et homines, qui jam saepius Rheumatismo laborarunt, nulla causa exstante hoc modo tentantur.

DE COMBINATIONIBUS ET COMPLICATIONIBUS.

Ut natura nullius morbi tam fugax atque versatilis est, quam Rheumatismi, ita nulli fere morbo tanta inest facultas metastases et metaschematismos ineundi, quantam in illo observamus. Non solum enim telarum sibi obnoxiarum modo partes externe modo interne sitas corripit, modo ab his ad illas progreditur, modo vice versa, sed etiam in telas alias, membranas mucosas, serosas, organa parenchymatosa transit, aliam autem induens indolem atque naturam secundum structuram organi affecti, talique modo nunc in catarrhum nunc in inflammationem mutatur.

Frequens est complicatio cum inflammatione membranarum serosarum, imprimis Meningis et Pleurae, et quidem Meningis,

si tegumenta fibrosa capitis aut articulationes columnae vertebralis, Pleurae, si articulationes costarum et musculi inter costales Rheumatismo affecti sunt.

Inflammationes hoc modo exortae semper prae se ferunt naturam rheumaticam et permulta anomala ostendunt:

a) Saepe sedem celerrime relinquunt.

b) Sunt valde propensae ad pseudocrisin, quod maxime ad inflammationes membranarum serosarum spectat, ubi jam inter nonnullas horas saepe exsudatio oritur et hoc modo imprimis in meningitide mors praematura adducitur.

c) Crises omnino sub lyseos forma et cum intermissionibus apparent.

Rarius observatur complicatio Rheumatismi cum hydrope Anarsarca, quem Schoenlein Rheumatismum cellulosum, alii medici Anasarca rheumaticum vocant. Simul cum articulis tela cellulosa subcutanea et vaginae musculorum correptae sunt irritatione, quae exsudatione perfecta tollitur. Non solum igitur articuli, sed totae extremitates corporis tumefactae sunt et nonnunquam quidem duplo ampliores. Cutis et renum secretiones sunt suppressae, aegri inter viginti quatuor horas non nisi aliquot uncias emittunt urinae turbidae, saturatae, flammeae. Organa respirationis nonnunquam haud intacta manent.

Nec non cum Erysipelaceis Rheumatismus combinatur. Quo facto, ad symptomata Rheumatismi pathognomonica signa accedunt Erysipelatis, lingua obtecta, sapor amarus, cephalaea, peculiaris illa urina.

Omnium frequentissima complicatio est cum affectione cordis, imprimis Pericardii et Endocardii, sed etiam musculorum cordis. Jam veteres hanc affectionem cognoverunt, attamen, quamdiu accuratiora illa diagnoseos adjumenta ignota erant, res obiter tantum tractabatur vel omnino negligebatur.

Bouillaud primus studiis diligentissimis adhibitis nexum illum peculiarem inter Rheumatismum acutum et hanc affectionem detexit. Hac ratione edocuit naturam affectionis: „Die Pericarditis kommt fast ungefähr bei der Hälfte der Subjecte vor, die an Rheumatismus acutus leiden und hier ist die Pericarditis gewissermaafsen nur ein Bestandtheil der Krankheit, die hitziger Gelenkrheumatismus genannt wird, welche jedoch im strengeren Sinne, als man es bis jetzt gethan hat, betrachtet, eine Entzündung aller serös-fibrösen Gewebe überhaupt ausmacht. Denn da das Pericardium ebensowohl wie das Gewebe, in welchem der wirkliche Gelenkrheumatismus seinen Sitz hat, eine serös-fibröse Membran ist, so kann man sich nicht wundern, dafs der Rheumatismus des Pericardium mit einem Wort unter denselben Umständen Statt findet, die einen Rheumatismus der Synovialhäute der Gelenke und der darunter gelegenen fibrösen Gewebe hervorrufen. Die rheumatische Endocarditis und Pericarditis kommt fast immer zusammen vor."

Jam quidem omnes medici in eo consentiunt, Rheumatismum acutum saepe cum hac affectione combinari, eique igitur summam tribuendam esse curam atque diligentiam, tamen sententiae de ejus natura atque frequentia valde inter se discrepant. Bouillaud enim hanc combinationem usitatam esse censet, alii contendunt contrarium. Mihi occasio oblata est, triginta sex circiter homines, Rheumatismo acuto laborantes, in caritatis nosocomio observandi. In viginti certe quatuor casibus simul cum affectionibus articulorum major vel minor cordis affectio aderat. Si igitur ex tam exigua observationum copia jus mihi competit, propriam proferendi sententiam, assenserim opinioni, quam Bouillaud attulit.

Affectio autem non semper eadem, scilicet imflammatoria,

est, ut multi opinantur medici, sed triplicem statuamus velim naturam:

a) Congestiva. Ut symptomata localia in articulis semper fere non nisi in irritatione congestiva posita sunt, ex qua, si affectio vehementius atque pertinacius unum locum occupat, nonnunquam inflammatio nascitur, ita etiam affectio Pericardii saepe non nisi congestiva est; certe rem ita se habere putaverim, si symptomata cordis et subjectiva et objectiva, respondentia versatili Rheumatismi naturae, inter viginti quatuor horas nascuntur et cedunt, quod quidem observandi occasio saepius mihi oblata est. Quae cum ita se habeant, laminam tantum externam Pericardii fibrosam Rheumatismo affectam, laminam autem internam serosam integram esse credo. Symptomata, quae observantur in hac affectione, sunt: „dolor minus magisve vehemens in regione praecordiali, ictus cordis fortis, et si Endocardium eodem modo affectum est, strepitus illi, quos paulo infra commemorabo, sed minori vehementia, quam in inflammatione.

b) Inflammatoria. Cum agglutinatio laminarum Pericardii intima sit, mirari non oportet, Rheumatismum a lamina fibrosa ad serosam transire et hoc modo in inflammationem rheumaticam commutari.

Inflammatione exorta, ad symptomata, quae jam attuli, ubi de affectione congestiva locutus sum, haecce accedunt: Apnoea ingens, pulsus frequens, vibrans, non raro intermittens, agrypnia aut somnus, ex quo aeger saepissime terrore subito excitatur, anxietas, sonus, percussione regionis praecordialis instituta, per justo majorem ambitum obtusus, regio praecordialis tumefacta, ictus cordis fortior, at a superficie pectoris remotior, ita ut manu pectori imposita difficillime vel omnino explorari nequeat, strepitus cordis normales, qui a loco remotiore sonare videntur, obtusi et cum anomalis

mixti, qui quidem aut eo nascuntur, quod laminae Pericardii oppositae sese terunt aut complicatione Pericarditis cum Endocarditide. In Endocarditide enim strepitus follicularis, serratus, limatorius, imprimis in regionibus, ubi valvulae positae sunt, audiuntur.

c) Nervosa. In errorem magnum multi incidere solent, qui putent, si aegroti molestias illas cordis subjectivas, quas supra commemoravi, sentiant, semper inflammationem adesse, quae venaesectionibus remediisque antiphlogisticis sit fuganda; unde fit, ut haud raro aegroti paulo post mortem obeant et cadaveris sectionibus nihil inflammationis inveniatur. Tales molestiae cordis subjectivae, ubi disquisitione acustica plane nihil affectionis inflammatoriae reperitur, quaeque novissimis temporibus, ut ab inflammatione distinguantur, innervatio cordis dicuntur, in omnibus fere conditionibus ut paulo infra videbimus, miliarium eruptionem comitantur. Ab inflammatione facile discerni possunt, non solum quia symptomata objectiva omnino desunt, sed etiam quia subjectiva cum intermissionibus apparent.

DE MORBI DECURSU.

Decursus et tempus, quod tenet Rheumatismus acutus, non certas sequuntur leges, nam et organorum affectorum dignitas et causarum occasionalium vis atque gravitas et hominis morbo affecti constitutio propria multum valent in statuenda indole atque forma morbi.

Pinel morbum septem usque ad sexaginta dies perdurare dicit, plerumque intra viginti aut triginta dies decurrit. Magni est momenti, et physicas et chemicas in secretionibus mutationes in toto morbi decursu diligenter atque accurate examinare, cum certissima ex iis de statu morbi signa deduci possint.

1. *De signis ex urina.*

Urina initio morbi eadem offert signa, quae urina inflammatoria. Est parca, turbida, colorem habet valde rubrum nonnunquam vini Burgundici similem, cum ardente dolore urethrae emittitur. Etiam solidorum urinae elementorum copia relativa est eadem, quam urinae inflammatoriae. Salium, imprimis Natri muriatici, non tam salium sulphuricorum copia justo minor est. Ureae copia vel adaucta, vel normalis, vel paulo deminuta, acidi urici semper adaucta est, qua de causa excellens illa acida urinae reactio. Henry etiam acidum aceticum liberum in urina Rheumatismo laborantium se observasse contendit. Non raro quoque in urina, si valde parca mittitur, albumen reperitur.

Jam in acme morbi, aut prius aut serius, apparent sedimenta, qua de causa magni est momenti scire, quae criticam habeant vim et naturam, quae non. Prima sedimenta plerumque constant ex Ammonio phosphorico, conjuncto cum Magnesia, paulo post praecipitatur quoque calcaria phosphorica, quae quidem sedimenta inter se ita sejuncta sunt, ut duo forment in matula strata. Paullatim sal prius praecipitatum minuitur et non amplius apparet, sedimentum non nisi ex permagna calcariae phosphoricae copia constat et quidem est granulosum, si urina neutram aut alkalinam praebet reactionem, si autem acidam, crystallisatum. Hae mutationes in urinae sedimentis omnibus sub conditionibus, ut Schoenlein contendit, eaedem sunt, quamquam tempus, quo appareant, non semper idem. Oblectamento et fortasse usui esset, quantitatem sedimentorum cum natura et vehementia symptomatum localium et febrilium comparare, utrum proportio intercedat, nec ne. Vim criticam haec sedimenta nunquam habent, et nascuntur fortasse non nisi celerrima illa urinae dissolutione.

Majoris momenti quod attinet ad crisin est sedimentum illud latericium, pathognomonicum etiam in inflammationibus, constans ex acido urico, salibus uricis, imprimis Ammonio urico, acido roseo et purpureo. Apparet non solum si sedimenta antea commemorata omnino defecerunt, sed etiam si adfuerunt, semper autem serius, quam illa in conspectum venire solent. At ne huic quidem sedimento vis tribuenda est critica, nisi urina, antea turbida et acida, pellucida fit et non porro acide reagit.

Interdum sedimenta critica in urina omnino desunt, quod certis sub conditionibus aegris summum affert periculum. Si enim Endocardium simul et articuli Rheumatismo affecti sunt, sedimento latericio deficiente, saepissime accidere solet, ut concretiones terreae, arthriticis similes, in valvulis cordis deponantur.

Commemorandum autem est hoc loco, feminas, deficiente urinae crisi, non in eodem, quam viros, periculo versari, nam apud illas saepe mucus in urina acide reagens aequivalens pathologicum, ut ita dicam normalis excretionis salium ureticorum praebet.

Nam ex investigatione chemica hic mucus quoque, sicut sedimentum latericium, Ammonium ureticum aut Ammonium ureticum conjunctum cum Magnesia continet et deest pigmentum tantum sedimento proprium. Simul cum hac Blennorrhoea vesicae rheumatica observatur interdum Blennorrhoea vaginae, cujus secretum non minus acide reagens partes finitimas erodit.

Ex iis, quae attuli, satis apparet, summam curam omni tempore vel etiam in convalescentia adhibendam esse, ad explorandam urinae naturam et qualitatem, cum nullum aliud symptoma tam certa nobis praebeat signa, quam urinae mutationes. Quamdiu salia in urina praecipitantur, aeger non

convalescens habendus est; idem dicere licet, dum urina quamquam ceterae virtutes jam normales sint, acide reagit. Si urina, quae jam omnino normae respondet, subito aut turbida fit, aut iterum acide reagit, aut parcior, quam solet, emittitur, affectiones articulorum intra viginti quatuor horas denuo erupturas esse, praedici potest.

2. *De signis ex sudore.*

Sudor, ut urina, in Rheumatismo acuto acide reagit, sed nondum constat, quod et quale sit acidum. Non fixum sed fugax et acido acetico simile videtur esse, quod quidem probatur putrido illo odore, quem edunt Miliaribus laborantes. Natura sudoris duplex est. Jam initio morbi aegri plerumque multum sudant, qui sudor symptomaticus est habendus, cum aegro non solum non afferat levamen, sed vel etiam vires exhauriat, et summas efficiat molestias et saepe periculum inducat. Sudor criticus aegris levamen infert, est modicus, aequabilis semperque symptoma benignum.

Quamdiu sudor putridum illum et acidum habet odorem, quamdiu urinam criticam desideramus, morbus nondum ad crisin pervenit; cum sudore critico et symptomata febrilia remittunt, pulsus adhuc magnus, tensus, frequens, celer, mollis fit et celeritatem illam amittit, cutis calor temperatur. Sin autem haec symptomatum remissio non observatur, aegri profusis, viscidis, foetidis sudoribus fere diffluunt, eruptio Miliarium plerumque instat, quod quidem exanthema, tam frequens Rheumatismi acuti comes, semper symptoma summi momenti habendum est. Necesse igitur est, id accuratius perlustremus.

3. *De Miliaribus rheumaticis.*

Miliaria, quae Rheumatismum comitantur, semper pulmonalia illa seu rubra sunt. Ut omnia exanthemata acuta,

saepe epidemice observantur, ii igitur medici in summo versantur errore, qui ea omnibus sub conditionibus productum medendi rationis sistere, dicant, scilicet medicamentorum diaphoreticorum nimisque excitantium. In nonnullis Rheumatismi epidemiis ne ullus quidem aeger, etiamsi fortissima medicamenta diaphoretica adhibita sint, Miliaribus laborat, hidroa tantum, sudamen, medicamentorum productum, interdum observatur, alias quisque fere aeger, etiamsi cura antiphlogistica, diaphoreticae plane opposita, instituta sit, non raro jam secundo morbi die Miliaribus corripitur.

Eruptioni hujus exanthematis certa symptomata praecedunt: Primum symptoma est sensus pruriens, formicans et hebes, interdum etiam pungens in extremitatibus superioribus, imprimis in digitis, deinde magna inquies, angor, palpitationes cordis vehementes, cum pectoris oppressione saepe conjunctae, irritatio sensorii, cephalaea acutissima, deliria cum comate alternantia; quae symptomata, brevioribus spatiis interjectis, iterum iterumque redeunt. Qualem paroxysmum, pulsu frequentissimo stipatum, modo cutis arida et calor mordax, modo sudores copiosi, foetentes et acide reagentes sequuntur, dum inter has cutis externae secretiones inquies, angor, pectoris oppressio, quin etiam cordis palpitationes non plane remittuntur. In quibusdam aegris symptomata anginosa, ruborem levem veli palatini, pharyngis et tonsillarum, nec raro jam in stadio prodromorum in his partibus parvas cernimus vesiculas. Tempus, quo exanthema ipsum efflorescat, non est certum, plerumque jam decem aut viginti quatuor horis, interdum autem tribus vel quatuor diebus post, quam symptomata illa apparuerunt. Maxima ex parte Miliaria primo ad claviculam, in collo, in dorso, in parte thoracis anteriore erumpunt. Eruptio semper cum intermissionibus apparet, saepe per nonnullos dies, quin etiam per complures hebdomades

perseverat, unde fit, ut in uno aegroto omnia exanthematis stadia cernere possimus.

Si eruptioni symptomata, quae commemoravi, antecesserunt, prognosis quoad vitam aegri semper mala statuenda est, cum febris asthenica et plerumque exitus letalis sequantur, pessima autem, si simile exanthema in membranis internis mucosis erumpit, aphthae in ore et intestinis, quo facto, febris asthenica et diarrhoea vehementissima celerrime aegri vires exhauriunt mortemque adducunt.

Sin autem symptomata eruptionem indicantia minori vehementia apparuerunt, periculum, in quo aeger versatur, minuitur, et prognosis eo melior statui potest, quo mitiores exanthematis prodromi fuerunt. Tamen omnibus conditionibus summa cura huic exanthemati impendenda, cum fieri non raro soleat, ut a cute externa depulsum in organa centralia transeat et paralysin imprimis pulmonum et cordis adducat.

Facile discerni potest ab hoc exanthemate aliud, quod iisdem corporis locis apparens, ut in multis aliis morbis febrilibus etiam in Rheumatismo acuto saepe sudores profusos sequitur, pustulae illae sudorum seu Psydracia acuta, hidroa. Eruptioni hujus exanthematis desunt prodromi illi Miliarium pathognomonici, sudores non foetidum illum odorem edunt, vesiculae areola inflammata non circumdatae nec tam frequentes sunt, humorem acide reagentem non continent, sed aquam aut vaporem aquosum, non turbantur, intra dies nonnullos praetereunt, nihilque symptomatum periculosorum, sicut in Miliaribus, vel a cute externa depulsae, afferunt.

DE EXITU MORBI.

1. *In convalescentiam.* Exitus frequentissimus et quidem plerumque cum praeclaris signis criticis cutis externae et urinae; rarius morbus lysi solvitur, dum neque cutis ex-

ternae neque urinae crisis apparet, aut si apparet, horis tantum matutinis. Etiam crisibus plane perfectis, aegri non statim convalescunt, nam debilitas magna, sensus hebes articulorum et impedita iis utendi facultas per aliquod tempus perdurat. Convalescentes exiguis saepe causis in morbum recidunt, medicus igitur symptomata morbum recrudescentem indicantia accuratissime cognoscat, necesse est. Praeter symptomata in urina, quae jam supra commemoravi. haecce sunt:

a) Pulsus sive constanter sive cum intermissionibus, horis tantum vespertinis, justo frequentior.

b) Pulsus, qui, justam quidem frequentiam non excedens, celeritatem illam exhibet, quam nos vernaculo sermone „schnellender Puls" vocamus.

2. *In convalescentiam partialem.* Si idem organon iterum iterumque affectum, aut cura non satis apta instituta erat, solutio morbi nonnunquam non perfecta est, restant enim in corpore varia morbosa. Interdum quidem symptomata vasculosa, ut ita dicam, plane evanescunt, symptomata autem nervosa vario modo se manifestare pergunt. Nonnunquam enim restat in partibus, quae Rheumatismo affectae erant, permagna sensibilitas, imprimis tempestatum mutationis impatientia, et Hyperaesthesia, quo modo Prosopalgia, Ischias nervosa Cotunni et aliae Neuralgiae exsistere possunt.

Saepius, quam Hyperaesthesia, exoritur torpor quidam in nervis partium affectarum et sensitivis et motoriis, qui vel in Anaesthesiam et Paralysin transire potest.

Irritatio nervorum, quae Rheumatismo acuto in peripheria mota erat, ad organa nervorum centralia refertur et spasmi exsistunt, ut Tetanus rheumaticus, Asthma rheumaticum, nonnulli medici etiam Epilepsiam Rheumatismo procreatam observasse se contendunt.

Copiosis illis et profusis sudoribus, qui tam saepe Rheumatismum acutum comitantur, cutis externa nonnunquam eo gradu relaxatur, ut sudandi facultas, etiam soluto morbo, per longum temporis spatium incredibili modo aucta sit. Tales aegri jam minima virium contentione diffluunt sudoribus, qui, ut in Rheumatismo, acide reagunt et si evaporant, non raro parvas relinquunt in cute crystallos, constantes ex acido urico aut e salibus ureticis. Hi vehementissimo, quem in cute efficiunt, pruritu aegrum valde cruciant. Haud raro etiam his sudoribus adducitur aut Miliarium eruptio, quae, causa perdurante occasionali, cum intermissionibus iterum iterumque redit et quasi chronica fit; rarissime tota corporis superficies occupatur erythemate, mixto nonnullis locis etiam cum pomphis.

In Exsudationem. Si articulus quidam nimia vehementia ac pertinacia affectus erat, non raro haec affectio solvitur exsudatione, quae quidem liquida et aquosa est, si imprimis membranae synoviales correptae erant, solida et fibrosa, si affectio magis in telis fibrosis, musculis, tendinibus posita erat. Altera exsudatione Hydrops articulorum acutus, altera callus ille rheumaticus (rheumatische Schwielen) nascitur, cujus quidem natura peculiaris et quod attinet ad structuram et ad compositionem chemicam, nondum satis cognita est.

Secundum Fuchs exsudationes rheumaticae et inflammatoriae valde inter se discrepant, et quidem liquidae eo, quod rheumaticae acidam, inflammatoriae semper kalinam praebeant reactionem, solidae autem eo, quod rheumaticae multo minore temporis spatio solidescant, quam lymphaticae, quod quidem Fuchs ex majore salium calcariae copia deducendum esse censet. Exsudationibus solidis musculi, tendines, ligamenta affecta plerumque paullatim tabescunt, contrahuntur et ligni quasi aut corii indolem induunt, quo modo creantur contracturae illae et Anchylosis rheumatica.

In Suppurationem. Nonnulli medici hunc exitum omnino negant. Et re vera suppuratio in Rheumatismo rarissime observatur. Bouillaud puerperas Rheumatismo laborantes ad hunc exitum propendere dicit, Schoenlein musculos abdominis, ante omnes autem musculos rectos et pyramidales Rheumatismo occupatos in suppurationem exire saepius observavit. Hedinger[1]) in relatione de caritatis nosocomio casum affert Rheumatismi acuti, ubi totum aegri corpus abscessibus tegebatur.

In Hypertrophiam. Dum in musculis externis voluntariis nonnunquam Atrophia, in musculis internis involuntariis, saepius Rheumatismo affectis, Hypertrophia exoritur. Id imprimis in corde tam saepe observatur, ut multi novissimi temporis medici Hypertrophiam cordis non nisi affectionibus rheumaticis effici contenderint.

Depositio concretionum rheumaticarum. Si decursus morbi anomalus est, salia interdum terrea, quae in normali decursu urina et sudoribus excernuntur, in articulis deponuntur et quidem imprimis in minoribus, uti digitorum, nec minus in valvulis cordis.

3. *In morbum alium.* De exitu in inflammationem et in Catarrhum jam locutus sum, ubi de complicationibus sermo erat. Restat ut afferam exitum:

In Arthritidem. Hic exitus nonnunquam observatur, si homines, qui dispositione arthritica hereditaria instructi, iterum iterumque Rheumatismo laborant. Accedunt enim aetate provectiori perturbationes illae organorum digestionis et chylificationis, quae Arthritidi propriae sunt, et loco Rheumatismi Podagra et ceterae Arthritidis species apparent.

Commemoratu dignum est hoc loco exanthema quoddam, quod adhuc cum morbo maculoso Werlhofii confusum,

[1]) Schmidt's Jahrbücher 1841. S. 215.

Schoenlein primus exanthema peculiare descripsit naturamque ejus rheumaticam agnovit, — *Peliosin rheumaticam.* Quo quidem exanthemate non nisi homines afficiuntur, qui aut jam prius Rheumatismo acuto laborarunt, aut qui simul cum illius eruptione doloribus trahentibus cruciantur articulorum, imprimis coxae et genu, rarius manus et humeri. Articuli oedemate sunt tumefacti, ne minimum quidem tactum patientes. Maculae hujus exanthematis primum quidem plerumque in extremitatibus apparent, imprimis in inferioribus, a pede usque ad genu. A maculis morbi maculosi Werlhofii facile discernuntur eo, quod sunt solitariae, rubrae, rotundae, digito premente evanescentes, dum hae non procul inter se dissitae saepe confluunt et totum corpus occupant, magis lividi coloris aut caerulei, digito premente non evanescunt, infra epidermidem sitae sunt, nec frigore recepto, cutem externam relinquunt, quod in maculis Pelioseos observatur.

Postquam maculae per quinque vel sex dies perseverarunt, pallescunt, et desquamatio furfuracea existit. Febris, quae hoc exanthema plerumque comitatur, cum remissionibus apparet et jam ante desquamationem crisibus et cutis externae et renum solvitur. Morbus non magni est momenti, nisi exanthema a cute externa depellatur, quo facto, non raro inflammatio cordis et majorum vasorum mortem adducit.

4. *In mortem.* Si quidem hic exitus rarissime observatur, vario tamen modo evenire potest:

a) Functionum laesione et quidem paralysi organorum, quae integra existant, necesse est, ut cordis paralysi.

b) Paralysi organorum, quae quidem minus sunt digna, paralysi sensim sensimque ad nervorum centra progrediente. Uti enim irritatio incidit et jam reflectitur paralysis; qua de causa paralysis extremitatum rheumatica, paullatim ad medullam spinalem progrediens, mortem inferre potest.

c) Eo quod inflammatio accedit, et vires febri vehementi, imprimis torpida, exhauriuntur.

d) Miliaribus a cute externa depulsis, qua causa adducitur paralysis cordis et pulmonum.

DE AUTOPSIA CADAVERUM.

Quum Rheumatismus morbus dynamicus sit, in eorum cadaveribus, qui Rheumatismo defuncti sunt, paucae reperiuntur materiae mutationes. In partibus affectis sanguinis copiam magis minusve adauctam videmus, tendines, membranas fibrosas et ligamenta plerumque subrubro colore, musculos contra modo rubros modo lividos aut fuscos, et quidem rubros, si Miliaria aderant, lividos et fuscos, si Rheumatismus naturam magis torpidam habebat et per longum perdurabat tempus. Praeterea eorum consistentia valde mutata est, sunt enim permolles et facile discindi possunt.

Nervi ad partes affectas pertinentes fere semper sunt mutati, raro rubefacti, plerumque luridi, infiltrati, tabefacti. Haec mutatio eo certius invenitur, quo major nervorum affectio, quo diutius morbus perseverabat, quo magis functio artuum laesa erat.

Exsudationes jam supra commemoravi, ubi de exitu morbi locutus sum.

In Pericardio et Endocardio, si affecta erant, plerumque signa inflammationis observamus et in Endocardio praeterea nonnunquam excrescentias morbosas et ossificationes in una alterave valvula cordis, et quidem excrescentias nonnumquam in omnibus valvulis, ossificationes plerumque in valvula Aortae et mitrali.

Substantia aut unius alteriusve ventriculi, aut totius cordis, non raro ad ingentem gradum adaucta reperitur.

VITA.

Joannes Carolus Adolphus Waltz, in Arce Ludovici ad Saram in Rhenania sita natus sum die quinto mensis Martii anni h. s. vicesimi quarti, patre Carolo, medico militari primario, quem decem jam ex annis demortuum lugeo semperque lugebo, matre Maria, e gente Partzsch. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus, gymnasium adii Postampiense, quod Cel. Riegler directore tunc florebat et adhuc floret, cui viro, optime de me merito, uti omnibus gymnasii praeceptoribus, maximas gratias habeo semperque habebo.

Maturitatis testimonio instructus m. Aprili a. MDCCCXLIII civibus instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani adscriptus sum. Per quadriennium hisce interfui Illustrissimorum et Celeberrimorum Virorum scholis:

Cel. Beneke de logice et psychologia; Cel. Preuss de historia; Cel. Turte de physice et pharmacia; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica, de Celsi libris, de pathologia generali, de historia medicinae; Ill. Mitscherlich sen. de chemica; Ill. Link de botanice et de historia naturali; Ill. Schultz de botanice; Ill. Schlemm de osteologia, de syndesmologia, de splanchnologia, de anatomia organorum sensuum; Ill. Mueller de anatome universa, pathologica et comparata, nec non de physiologia; Cel. Eck de semiotice, de therapia generali, de morbis contagiosis, de morbis simulatis et dissimulatis; Ill. Mitscherlich jun. de materia medica; Ill. Schoenlein et Beat. Wagner de pathologia et therapia speciali; Ill. Horn de morbis syphiliticis et psychicis; Ill. Juengken de chirurgia speciali; Ill. Casper de arte formulas medicas rite concin-

nandi, de medicina forensi; Cel. Froriep de arte fascias rite imponendi; Cel. Troschel de ossibus fractis et luxatis; Cel. Boehm de aciurgia; Cel. Schmidt de arte obstetricia; Cel. Lauer de medicina militari.

Duces mihi fuere in arte cadavera secandi Ill. Mueller et Ill. Schlemm; in arte fascias rite imponendi Cel. Froriep; in operationibus chirurgicis Cel. Boehm, in ophthalmiatricis Exper. Angelstein. Praeterea interfui Ill. Schoenlein et Cel. Wolff et Ill. Romberg clinicis medicis; Ill. Juengken, Ill. Dieffenbach clinicis chirurgicis et ophthalmiatricis; Cel. Schmidt exercitationibus obstetriciis; Ill. Casper exercitationibus medico-forensibus.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, quam possum maximas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Albumen saepissime in urina inflammatoria reperiri.
2. Naturam Rheumatismi acuti non esse inflammatoriam.
3. Tracheotomiam in angina membranacea rejiciendam esse.
4. Miliaria rheumatica non semper esse medendi rationis productum.
5. Dysmorphia corporis humani nunquam ex ovo petenda.
6. Scirrhum cultro sanari non posse.